IVSTI LIPSI

MANVDVCTIONIS AD STOICAM PHILOSOPHIAM

LIBRI TRES:

L. ANNAEO SENECAE, aliiſque ſcriptoribus illuſtrandis.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Ioannem Moretum.

M. DC. IV.

Cum Priuilegiis Cæſareo ac Regio.

AD ILL^MVM ET EXCELL^MVM

PRINCIPEM

D. IOANNEM FERDINANDVM VELASQVIVM

COMITEM-STABVLI REGNORVM CASTELLÆ ET LEGIONIS, DVCEM FRIASII, COMITEM HARI.

MANVDVCTIONEM meam facere vides, quod ego nuper feci, Ill^me Princeps, id eſt ad te venire. Vterque meritò. ego, vt aduentum in hæc loca & afflictã patriam gratularer, tuis etiam conſiliis erigendam; itémque gratias agerem, pro beniuolentiâ quâ me iampridẽ eximiâ quadam honeſtaſſes. Facit vtrumque hoc idem *Manuductio*: & cauſſas eaſdem habet. An non & alteram magis pro-

I. LIPSI MANVDVCTIONIS AD STOICAM PHILOSOPHIAM

LIBRI PRIMI

DISSERTATIO PRIMA.

Adhortatio ad Philoſophiam omni ætati aptam & vtilem: & liberales ſcientias non tanti videri.

LIPSIVS. Nam quâ cauſsâ triſtiorem te, & ſimbriatâ quadam fronte video? AVDITOR. Cauſsâ quidem apertâ. patriæ pericula, an ruinas, ſolus ignoras? LIPS. Deus auertet, aut ſiſtet: quid tamen ad te propriè? AVD. In vnâ ſum naui. LIPS. Velim iſtâ. AVD. Quâ? LIPS. Sapientiæ, quam tracto. AVD. Vidêris mihi in libris eſſe, & ſic ſoles. LIPS. Non ſemper in iſtis ſeriis, & voueam olim magis fuiſſe. AVD. Qui iſti igitur? LIPS. *Annæum Senecam* agnoſcis magnum inter magnos virum. AVD. Sæpe à te ſic audio. ſed nunc quidem ſepono, vel ipſo te auctore. LIPS. Méne? defugio. AVD. Nam flos æui me habet, & in eo amœniora igitur hæc ſtudia, & velut florida, tractamus: grauiorum adhuc expertes. Fallor, aut monuiſti. LIPS. Illa tractare te monui, fateor: hæc ſeponere, non monui, & non ab illis tantùm, ſed cum illis, curare. Vis me verum dicere? Philoſophiæ amor & notitia aliqua etiam adoleſcentiæ adſciſcenda eſt: neque vlla ætas ei immatura. Vetus æuum ſi reſpicis, à pueritiâ huc ducebantur: & omitto alia monita, audi iſtud ab otij ipſius magiſtro. Μήτε νέος τις ὢν φιλοσοφεῖν μελλέτω, μήτε γέρων ὑπάρχων κοπιάτω. Οὔτε γὰρ ἄωρος οὐδείς ἐστιν, οὔτε πάρωρος, πρὸς τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαῖνον: *Neque iuuenis aliquis*